



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Dominica xij. post pentecosten

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

ri. Tales domum dei speluncam latronum faciunt, quia in eo quod spiritalia dona uendunt, abominabilem fructum faciunt. De quibus ait saluator: Qui nō intrat per ostiū in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Quod uero subiungit, [Et erat docens quotidie in templo,] hoc semper agit in ecclesia spiritaliter, quod tunc per semetipsum fecit corporaliter. Ipse enim in templo docet, cum exterius per prædicatores doctrinam format, & interius cor auditoris illustrat.

Ioh. 10.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN, I. ad Corinthios XV.

FRatres, Notū uobis facio,] id est, ad memoriam uobis reduco [euangelium, quod prædicaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per qd & saluamini.] Fuerat Apostolus apud Corinthios per annum unum & sex menses, prædicans illis euangelium, sed post eius discessum introierunt in eos pseudo apostoli, q negabāt Christum ex uirgine natum, passum, a mortuis suscitatum, negabant quoq; resurrectionem generalem futuram. Idcirco compulsus Apostolus, recapitulat que illos præsens docuerat. Vnde dicit: Notum uobis facio euangelium, quod accepistis siue suscepistis a me, uel acceptum habuistis, in quo & statis. In unaquaq; plebe fideli duo sunt populi, perfecti & imperfecti. Sed hic perfectos in fide alloquitur, iterum contra imperfectos subiungit:

Qua ratione prædicauerim uobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.

Literatura huius uersiculi minus quiddā sensus uidetur habere in Latino, quia pulchrius sonat in

EE

Græco Notandumq; interrogatiue atq; increpative esse legendum. Igitur dicitur ita. Quid utilitatis accepistis in hoc, quod prædicaui uobis, si modo decepti a pseudo apostolis, aliter sustinetis, nisi quia frustra siue inaniter credidistis in hoc, quod a fide recessistis? Dicit ergo. Qua ratione siue qua utilitate prædicaui uobis uerbum fidei, si tenetis: subauditur, modo aliter quam tunc audistis, nisi quia frustra credidistis? An hanc me prædicante adepti estis fidem superfluum & non ueram? Non est ita, quia uera uos docui, non falsa, ueramq; fidem & credulitatem. Ergo qua ratione prædicaui uobis, nisi quod frustra credidistis ignoro. Frustra credidit, qui ab ipsa fide postmodum recedit. Iam in sequentibus exponit quid prædicauerit.

Tradidi enim uobis in primis id est, in exordio meæ prædicationis, [quod & accepisti.] subauditur, a Christo.

quoniam **Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas.** [Scripturas ueteris testamenti memorat, quæ futuram Christi passionem cecinerunt. Dicit enim Isaias: Sicut ovis ad occisionem ducetur, & sicut agnus non aperiet os suum. [& quia sepultus est,] subauditur, secundum scripturas. Dabit, inquit propheta, impios Iudeos pro sepultura, & diuitem pro morte sua. & iterum: Erit, inquit, sepulchrū eius gloriosum. Mortuum enim, nulli dubium est, sepultum esse. & quia surrexit tertia die secundum scripturas.] e quibus est, **uiuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.** [& quia uisus ē Cephas.] **Cephas Syrum est & Hebræū, Petrus Græcum &**

Isa. 53.

Ibidem

Isa. 11.

Osee. 6.

Latinum Licet certum locum nō definiant euangelistæ ubi apparuerit ei, tamen credendum est quia apparuit. [& post hæc undecim.] octaua uidelicet die resurrectionis suæ, quando cum alijs erat Thomas. Deinde uisus est plusquam quingentis fratribus simul, id est, credentibus. Hoc quoque uerum est, licet euangelistæ non commemorent, ex quibus multi manent in corpore [usq; adhuc.] sabauditur: quos, si uultis, interrogare potestis: quidam autem dormierunt, id est, mortui sunt. Quod ideo dicit, quia facilius poterunt suscitari a Christo de somno mortis, quam quis a socio suo de somno lectuli.

Deinde uisus est Iacobo, qui spopoderat in cœna, nō se manducaturū aut bibiturū, donec uideret Christum a mortuis suscitaturū. [deinde apostolis omnibus.] Et in monte ubi constituerat eos ire, & qñ cœlos petijt. Nouissime autem omnium tanquam abortiuo, uisus est & mihi. Abortiuus est, qui sine legitimo tempore nascendi nascitur, extra tempus uidelicet congruum, aut antequam debeat nasci, aut postea. Iulius Cæsar fuit abortiuus, qui post legitimū tempus cum cæsarie natus est, sec̄to matris utero. Sic & Apostolus abortiuus quodāmodo extitit, q̄a post tempus natus est in Christo, q̄a non ab illo uocatus est, cū adhuc esset in carne, sed cum iam in dexteram patris esset collocatus. Vel abortiuus, quia sicut de uita abortiui desperatur, sic & de uita Pauli desperabatur a fidelibus, quando eos persequabatur: qui antiq̄ perpetuam incurrisset mortem, nisi ei a Christo fuisset subuentum. Visus est autem ei de cœlo

post non paruum tempus ascensionis suæ, quan-
 do cæcatus est in uia dum pergeret Damascum, et
 Actu. 9. postea oranti in templo. Ego enim sum mi-
 nimus apostolorum.] Causa humilitatis hoc di-
 cit, sicut & Matthæus, qui uocat se publicanū. Vel
 Mar. 9. etiam minimus tempore & uocatione, quia ulti-
 mus est uocatus. Maximus autem labore, digni-
 tate & operatione, sicut ipse in sequentibus dicit:
 Abundantius siquidem illis omnibus laboraui.

Gratia autem dei sum id quod sum.

id est, quod apostolus sum & prædicator euange-
 lii, totum est dei gratia. Et gratia eius in me ua-
 cua non fuit.] Per liberum arbitrium cooperatus
 est gratiæ dei. ipsa tamen gratia præuenit illum ut
 uellet, & subsecuta est, ut posset implere quod uo-
 lebat. & hoc, quia uoluntatem suam iunxit uolun-
 tati dei, ideoque dignus est remuneratione.

SERMO ALIUS SVPER
 eandem epistolę ad Corin-
 thios lectionem.

Fratres, Notum uobis facio euangeliū, quod
 prædicani uobis, quod & accepistis, in quo &
 stis, per quod & saluamini.] Cum notū fa-
 cere proprie sit, quod antea incognitum erat, que-
 ritur, quomodo dicat Apostolus se notum face-
 re euangelium Corinthijs, cum utique illi non
 credidissent, nisi antea cognitum habuissent. Ad
 quod dicendum, quia Corinthij uerbum quod
 acceperant, a falsis apostolis decepti, magna ex
 parte obliuioni tradiderant, indigebant iterum
 ab Apostolo cognitionem illius audire, quod per

negligentiam perdiderant. Deniq; quod primum cognouissent, suis uerbis apit eū adiūgit: [Quod & accepistis,] id est, dignū ad audiendum duxistis. [In quo & statis,] id est, si tenetis quod accepistis, state in uirtutibus & recta ceruice aduersus inimicū dimicaturi. [Per quod & saluamini,] Quia non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, & non est in alio aliquo salus. [Qua ratione prædicauerim uobis, si tenetis, nisi frustra credidistis,] Ac si diceret: Si non tenetis quod accepistis, frustra credidistis, id est, sine causa & in uacuum, si quod acquisistis, per negligentiam perdidistis. [Tradidi enim uobis in primis, quod & accepi,] Quod in exordio tradiderat Paulus Corinthiis, hoc uniuersalis ecclesia confitetur & credit. Ac si diceret Apostolus: Ex quo uobis in primordio prædicaui, tradidi uobis mysterium resurrectionis. [Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas,] Hæc omnia a prophetis prædicta esse nemo qui scripturas legit, dubitat. Et ne putares Apostoli dicta esse, & non dei, autoritate scripturarum, quod dicit, confirmat: [quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas,] Quod autem mortuus sit pro peccatis nostris, sic habetur scriptum in Isaia: Ipse autem uulneratus est propter peccata nostra. Et iterum: Propter scelus populi mei percussit eum. De resurrectione autem legitur in Osee. *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Et quoniam inter Corinthios plurimi erant, qui carnis resurre-

Isa. 53.

Ibidem

Osc. 8.

EE iij.

ctionem non credebant, multis uerbis Apostolus
eam commendat domini exemplo, ut nostram fu-
turam credamus. Vnde ipse alibi dicit: Si autem
1. Cor. 15. prædicatur quod Christus resurrexit a mortuis,
quomodo quidam in uobis dicunt, quod resur-
rectio mortuorum non est? Si enim resurrectio
mortuorum non est, neque Christus resurrexit.
Si autem Christus non resurrexit, inanis est fides
uestra, inanis est & prædicatio nostra. [Et quia
uisus est Cepha, Id est, Petro. Cephas Syriace, La-
tine dicitur Petrus. Apparuit autem ei, quãdo sic-
ut dicit euangelium, duo reuertentes ex discipulis
de Emaus castello, inuenerunt undecim & eos qui
Luc. 24. cum ipsis erant, congregatos, dicentes quod surre-
xit a mortuis, sicut dicit Iohannes: Cum esset sero
Ioh. 20. die illo una sabbatorum, &c. [Deinde uisus est
plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus
multi manent usque adhuc, quidam autem dor-
mierunt. Hæc enim apparitio quomodo facta sit,
non declaratur in euangelio. Aliæ enim appariti-
ones ab Apostolo describuntur, nisi forte etiam di-
Luc. 24. camus, eum plusquam quingentis fratribus simul
apparuisse, quando ascendens in cælum, eduxit
Actu. 1. eos foras in Berhaniam. & eleuatis manibus, fere-
Ibid. batur in cælum, quando non ipsum in terra, sed in
aere uiderunt. Vnde Lucas euangelista dicit: Appa-
ruit eis per dies quadraginta. Et iterum: Quia ui-
sus est per dies multos his, qui simul ascenderant
cum eo de Galilæa in Hierusalẽ, qui usque nunc sunt
testes eius ad plebem. Quod autem dicit, Quidam au-
tem dormierunt, pulchre sanctorum dormitionẽ
appellat: quia non o tam facile de somno, quam
mortui resurgent incorrupti. [Deinde uisus est Ia-

cobo. Iacobo Alphæi seorsum apparuit. Tradūt enim quia dicente domino in ultima cœna, quam cum discipulis peregit, Desiderio desideravi hoc pascha manducare uobiscum: & Non bibam de hoc genimine uitis &c. Iacocus testatus est se non manducaturum neq; bibituræ, donec uideret Christum resurgētem. Cuius uotis dñs annuens, eo die quo resurrexit a mortuis, seorsum apparuit. Deinde apostolis omnibus, scilicet quando recumbētib⁹ undecim discipulis, apparuit eis, & exprobrauit incredulitatem illorum. [Nouissime autem omnium tanquam abortiuo] &c. Paulus a postolus non sibi dominum apparuisse dicit, quia non eum p̄sens in carne docuit: sed post ascensionem in caelos, persequenti ecclesiam dominus apparuit, ei in uia dicens: Saule Saule, quid me persequeris? [Ego sum minimus apostolotum.] Implet uere iste sententiam dom̄ni, dicentis: Qui uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister. [Qui non sum dignus uocari apostolus.] Frequenter p̄terita tempora ad memoriam reducuntur, non quod tales esse desiderant, quales prius fuerunt, sed quales per gratiam sunt effecti, inter diuina munera humiles perseverant. Quem enim non extolleret, usque ad tertij cæli secreta raptum fuisse, ubi audiuit arcana uerba quæ non licet homini loqui? Quē etiā non eleua ret, uerbo solo demones eiecisse, & tactu solo corporis infirmitates curasse: sed in: er om̄ia considerans, qualis ex se fuerit, & qualis p̄ gratiā dei fact⁹ sit, in humilitatis custodia crescebat. [Gratia autem dei sum id quod sum.] Quicqd operabatur, & q; passiones

Luc. 22.

Actu. 9.

Marc. 10

Phili. 4.

sustinebat pro dño, nō sibi imputabat, sed deo, sic ut ipse dicit: *E surire & sitire, omnia iustinare possum in eo q̄ me cōfortat.* [Et gratia eius in me uacua nō fuit.] Gratia dei in eo uacua nō fuit, quem nec tribulatio, nec angustia, nec fames ab officio prædicationis retrahere potuit. Sed frequenter in carcerem missus, sollicitudinem gerebat ecclesiæ. Propter quod ipse dicit: [Plus omnibus laboravi, non solum ego, sed gratia dei mecum.] Quapropter considerare debemus, ut gratia dei quam per baptismum percepimus, & in quibusdam donis post baptismum excreuimus, id est, perseueremus, ne gratia dei in nobis uacua sit, hoc est, ignaua ne torpeamus pigritia, ut de spe futuræ uitæ requiei securi, ualeamus cum eo dicere: Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex.

2. Tim. 1.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN, Lucae XVIII.



In illo tempore dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum. Et reliqua.

IN multis locis sacra scriptura, quantum uirtus humilitatis hominibus p-

fit, quantumve morbus superbix noceat, ostendit: præcipue tamen in hac lectione, sub duorum hominum exemplo hoc dominus declarat, pharisæi scilicet, de suis meritis inaniter se extolentis: & publicani, sua peccata humiliter confitens. Ait enim: [Duo homines ascenderunt in templum] Supra retulit euangelica lectio, quæliter dominus cum ad constantiam orandi discipulos suos hortaretur, si multitudinē proposuit de iudice iniquitatis, quem interpellabat quotidie quædam uidua, dicēs: **Lucæ. 18** Vindica me de aduersario meo, & nolebat per multum tempus. Post hæc dixit intra se, Etsi deum nō timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc mulier, iudicabo illam, ne in nouissimo ueniens suggillet me. Et tædio uictus prestitit, quod beneficio præstare noluerat. Sed quod omnis, qui ad adorandum accedit, non solum humilitatem in corde, sed etiam seruare debet in corpore, finita similitudine, dicebat ad eos, qui in se confidebant tanquam iusti essent:

Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus pharisæus, & alter publicanus.]

Pharisæus namq; diuisus interpretatur, quo nomine illi in Iudæorum populo cæsebantur, qui ut iustiores apparerent, a cæteris se diuidebant, quasdam obseruationes & superstitiones docentes, quorum uitia dominus in euangelio non solum detegit, sed etiam frequenter increpat, dicens: **Mat. 23.** Vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parēt quidem hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Ita & uos quidem a foris apparetis hominibus iusti, intus autem ple

Ibidem.

niestis iniquitate & hypocrisi. Et iterū. Super cathedrā Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint uobis facite, secundū uero opera eorum nolite facere. Dicunt enim, & nō faciunt. Alligant autem onera grauiā & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Ex quorum numero erat iste pharisæus, qui cum ascendisset in templum ut oraret, dicebat:

Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus.

¶ In quo loco colligere possum, quia quatuor modis, tumor arrogantium diuiditur. Primo, cum se æstimat habere homo, quod non habet. Secundo, cum hoc quod habet, propria uirtute se habere purat. Tertio, cum hoc quod habet, a deo quiddē se accepisse, sed proprijs meritis credit. Quarto, cū cæteris despectis, singulariter se habere æstimat quod habet. Quo morbo iactantiæ iste pharisæus laborabat, qui non solum publicano humiliter oranti se præferebat, sed etiā cæteris hominibus, dicēs: [Deus, gratias ago tibi, quia nō sum sicut cæteri hominū.] Adhuc etiā ipsam mentis iactantiā pharisæus uerbis aperit, cum subiungit,

Ieiuno bis in sabbato, decimas de omnium quæ possideo.] Quod ait, [Ieiuno bis in sabbato,] intelligendum est in hebdomada. Vbi eorum tepiditas redarguitur, qui etiā indictum ieiuniū in ecclesia uiolare præsumunt. Frustra tamen decimas de omnibus quæ possidebat dabat, quia mentem suam in fundamento humilitatis non collo-

cauerat. Erat enim de illis, de quibus dominus ait: **Mat. 23.**
 Vae uobis scribae & pharisaei hypocritae, qui deci- **Luc. 11.**
 matis mentham & anethum & cyminum & omne
 folius horti: maiora autem legis praetermittitis, id
 est, iudicium & aequitatem. Sollicita ergo conside-
 ratione praevidendum est, ut quotiescunque bona
 agimus, uirtutem humilitatis in fundamento po-
 namus, ne si exterius inanem gloriam quaerimus,
 interius mercede priuemur. Vnde Iezechiel, cum
 quatuor animalium corpora describeret, ait: Erant **Ieze. 1.**
 capita animalium plena oculis ante & retro: quo- **& 10.**
 niam sanctorum actio undique circumspecta, unde
 que debet esse munita. Ecce enim pharisaeus iste
 ad referendas deo gratias apertos oculos habuit,
 sed ad humilitatis custodiam clausos, cum dixit:
 [Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut caeteri
 hominum.] Nos autem in eo quod bonum agi-
 mus, oculos apertos habemus: sed si de bono ope-
 re inanem gloriam quaerimus, in ea parte nihil ui-
 demus. Et quid prodest, si tota ciuitas munita sit,
 & muris undique circumdata, & unum foramen in
 ea relinquatur, per quod ab hostibus capiatur?
 Aut quid ualet, si nauis in medio pelagi posita, cla-
 uis & trabulis firmiter confixa fuerit, & paruum fo-
 ramen in ea remaneat, per quod aquae ingredian-
 tur, & nauis demergatur? Nihil. Sic non sufficit bo-
 num agere, nisi quis humilitatem studeat seruare.
 Quia qui sine humilitate uirtutes colligit, quasi in-
 uentum puluerem porrat. Nam humilis dicitur, qua-
 si humi accliuus. Quam humilitatem ille habebat,
 qui dicebat: Loquar ad dominum meum, cum sim pul- **Gen. 18.**
 uis & cinis. Et dominus ad humilitatis custodiam nos **Matt. 11.**
 prouocat, cum dicit: Discite a me quia mitis sum &

Ecc. 3. humilis corde. Et Salomon: Quanto magnus es;
1. Pet. 5. humilia te in omnibus. Et Petrus apostolus: Hu-
Pfal. 118 miliamini sub potenti manu dei. Hanc humilita-
Ibid. tem habebat Psalmista, cum dicebat: Bonum mihi
 domine, quod humiliasti me. Et item: Humiliatus
 sum usquequaq; domine. Solet em̄ contingere, ut
 cum auis laqueo capitur, sana toto corpore & in-
 regris alis, summitate paruissime unguis teneatur.
 Quoniam antiquus & callidus auceps diabolus,
 quos per adulteria, homicidia & cætera manifesta
 mala capere non potest, per inanem gloriam deci-
 pere conatur, ut de bono quod agunt, & sibi pla-
 ceant & cæteros despiciant. Sed his de superbi phar-
 isæi tumore breuiter dictis, ad pœnitentis publi-
 cani uerba ueniamus. nam subditur:

Et publicanus a longe stans, nolebat nec
 oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suam,
 dicens: Deus, propicius esto mihi peccatori. Publicanus
 dicitur, q̄ amisso pudore publice peccat, uel
 qui tributa & uestigalia publice exigit. Sicut em̄
 pharisæus mentis iactantiam aperuit uerbis, ita &
 publicanus dolorem cordis in ipso situ ostendit
 corporis. Primo a longe stando, non audens ap-
 propinquare sanctis, a quorum consortio se pec-
 cando diuiserat. Secundo, nolens oculos ad cælum
 leuare, timens illum respicere, quem se offendisse
 recolebat. Tertio, tundendo pectus, quod pprie il-
 lorum est, q̄ de peccatis erubescunt. In tuncione q̄
 pe pectoris, dolorē ostendit mentis. Sed q̄a nemo
 præ facinorum magnitudine ueniã desperare de-
 ber, recte uoce publicani dicitur: [Deo] propicius esto
 mihi peccatori. Nouerat enim illum esse, q̄ p pro-
 phetã ait: Viuo ego, dicit dñs, nolo mortem pecca

Ieze. 18.

toris, sed ut conuertatur & uiuat. Et iterum: Peccator in quocunq; die conuersus fuerit & ingemuerit, omnia peccata eius obliuioni tradetur. Imitemur ergo & nos, q; peccatis cōstringimur, hunc publicanum: & recolentes mala quæ gessimus, longestemus, id est, a cōsortio sanctorum nos indignos iudicemus. Respiciamus terram, id est, terram & cinerē nos esse iugiter cōsiderem⁹. Tundamus peflora, ut delectatio carnalis in amaritudinem uertatur mentis: neq; em̄ pœnitentes de uenia desperemus, sed ad illum, qui ueniæ largitor est, humiliter accedamus, orantes cum propheta & dicentes: **Pfal. 78.**
Pro. 16.
 Aduua nos deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui dñe libera nos, & propicius esto peccatis nostris, propter nomē tuum. Sed quia iuxta uocem Salomonis, Ante ruinā exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur, bene subiungitur:

Amen dico uobis descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, hoc est, magis quam pharisæus. Iste enim se accusando iustificatus est, ille se excusando reprobatur. Sicq; in his adimpletum est, quod alibi ait: **Luc. 15.**
Amen dico uobis, quia gaudium est in cælo coram angelis dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui nō indigent pœnitentia. ¶ Allegorice autem per pharisæum & publicanum, utrunq; populum intelligere possumus, Iudeorū scilicet & gentium. Ergo per pharisæum, qui diuisus interpretatur, Iudeorū popul⁹ significatur, qui in circuncisione & legalibus ceremonijs a cæteris nationibus erat diuisus. Per publicanum intelligitur gentilis populus, q; a cognitiōe dei alienus, absq; ulla reuerentia publice peccare non eru

bescebat, non solū in idolorum cultura, sed etiā in
uarijs immunditijs. Sed phariseus de proprijs me-
ritis confidens, reprobatus est: quia sicut ait Apo-

Rom. 11. stotus, Iudæorum populus uolens statuere suam
iustitiam, iustitiæ dei nō est subiectus. Publicanus
autem uel gentilis, accepta dei notitia, tanto citi-
us ad ueniam peruenit, quanto uehementius do-
lēs de peccatis erubuit, Apostolo teste q̄ ait: Quod

Ibidem quærebat Israel, non est consecutus, electio autē
consecuta ē. Sic ergo unus exaltando meruit hu-
miliari, & alter humiliando meruit exaltari. Sup-

Pro. 29. bum em̄ (ait Salomon) sequitur ignominia, & hu-
mitem spiritu sequitur gloria. Vnde & subditur:

Quia omnis qui se exaltat humiliabitur;

& qui se humiliat, exaltabitur. Sed q̄ simpliciter

non ait, Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se hu-
miliat, exaltabitur: sed cum additamento, Omnis

qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, ex-
altabitur. dicendum est quia uarijs modis hoīes in

hoc seculo & in futuro exaltantur & humiliantur.

Alij hic & in futuro exaltantur, sicut fuit rex Da-
uid, Iob, Iezechias, Iosias, & cæteri tales, q̄ glorio-
si in hoc seculo fuerunt, & gloriosiores in futuro.

Alij hic & in futuro humiliantur, sicut sunt super-
bi homines, q̄ sunt pauperes: uel certe illi, q̄ in hoc

seculo de peccatis uindictā recipiunt, & in futuro

ad pœnā perpetuam transeunt, quales fuerunt He-
rodes & Antiochus, Nabuchodonosor & Pilatus,

& multi tales, de q̄bus scriptū est: Duplici contri-
tione conterere eos dñe. Nonnulli autem hic exaltan-
tur, sed in futuro humiliantur, sicut sunt superbi di-
uites, qui iuxta scripturæ uocē, ducunt in bonis dies
suos, & in puncto ad inferna descendunt. Alij autē

Iere. 17. uites, qui iuxta scripturæ uocē, ducunt in bonis dies
suos, & in puncto ad inferna descendunt. Alij autē

Iob. 21.

hic humiliantur, sed in futuro exaltantur, sicut sunt pauperes, & illi scilicet, qui propter deum omnia sua relinquentes, semetipsos spontanea uoluntate humiliant, ut in futuro a domino exaltari mereantur. Ad quorum nos consortium perducere dignetur ille, qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN, II. ad Corinth. ij.

Fratres Fidutiam talē habemus per Christum ad deum &c.

IN hac lectione uult Apostolus differentiā & distātiā facere, inter Moysen legislatorem & Christum datorem euangelij, inter legē & euangelium, inter doctores legis & doctores euangelij. & ostendit, quia quanta distantia est inter Moysen & Christum, tanta distantia est inter legem & euangelium, inter doctores legis & euangelij. Demonstrat quoque quia nihil sumus, nisi domini misericordia & gratia regamur. Fidutiam, inquit, id est, audaciam & fidem, talem habemus per Christum dominum nostrum, cuius passione redempti & reconciliati sumus. [ad deum.] id est, apud deum patrem, qualem ego dicturus & scripturus sum in sequentibus.

Nō quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, nisi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Hic destruit omnē confidentiā liberi arbitrij, per quod multi putant se posse bonum aliquid agere sine dei gratia. Et idcirco ista omnia ait, ut ostendat nihil boni sua uirtute & prudentia posse cogitare aut facere. Dicit ergo: Nō habemus talē fidutiā uel audaciā quod simus sufficientes, id est, quod possimus cogitare a no-